



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Discipulum esse Christi, vt sit perfectius multò, quam esse Christianum simpliciter: superbia quanam ex radice pullulet: vota tria monastica vtî Christus seruârit. Cap. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Discipulum esse Christi, ut sit perfectius multo, quam esse Christianum simpliciter: superbia quanam ex radice pullulet: Vota tria monastica vti Christus seruauit.

Cap XIII.

Luc 14.
Discipulus
Christi plus
est quam
Christianus.

Matt. 16.

Superbia ex
qua radice
pullulet.

Christus ut
tria vota
monastica
re ipsa præ-
stiterit.
Matt. 8.
Luc. 9.
Phil. 2.

Verum sic Christus, inquit, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Discipulum esse amplius est, & plus huc pertinet, quam esse Christianum. Vt Christianus sis, mandatorum in fide seruatione conficis: ut discipulus existas, tuum erit ad perfectionem mandatorum exequutionis conari: quod in eo fit, si tibi cunctas amputes occasiones, quæ te ab absoluta charitate Dei impediunt, unde perfectè huiusmodi mandatorum Dei custodia nascitur. Item quando Petrus pro se alijsq; discipulis gloriatus esset, humiliterq; Christum percunctatus esset, dicens: *Ecce nos relinquimus omnia, quid ergo erit nobis?* Christus dixit: *Amen dico vobis: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, scilicet in præsentem vitam, & vitam æternam possidebit.* Tertia occasione, hoc est, superbiæ vitæ (quæ ex radice proprii amoris, propriæ voluntatis & propriæ quæstionis pullulescit) in religiosa monasticâq; vita, obedientia, siue subiectio opponitur. Has tres virtutes, quæ à monasticis hominibus Deo vouentur & spondentur, Christus non modo docuit & consuluit, sed etiam ipsemet præstiterit. Quandoquidem ipse in intemerata castimonia continens fuit, imò ab omnibus vitijs immunis, purus & incontaminatus. Suapte sponte pauper fuit, quia proprii nihil habuit, sicut ipse inquit: *Vulpes foueas habent, & volucres caeli nidus: filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Obediens fuit, ut Paulus ad Philippenses ait, *ad mortem, mortem autem crucis.* Ecce in his tribus votis, & in multis alijs constitutionibus omnes ordines consentiunt, quomodo etiam conueniunt in fine, qui est ad perfectionem charitatis præceptorum Dei peruenire. Si cui plura de tribus hisce votis legere libeat, libellum à venerabili & religioso patre Nicolao Herborn Guardino Marpurgensi ordinis Obseruantie compositum legat, vbi pulchrè annotatum responsumq; quod quemque scire delectet, inueniet.

Quod omnes religiosi ordines primitus à Deo per homines sint instituti.

Cap. XIV.

Canones
monasticos
Deo autore
conditos.

Exod. 20.
Deut. 8.
Ioan. 1.

Procul dubio quoque credendum est, regulas & statuta, quæ religiosi ordines obseruare habent, per quæ sese in Apostolica, siue verè Christiana, (sicut primi discipuli in fidei exordio) vita continent, à Deo autore profecta esse, qui omnis boni dator & auctor existit, qui per homines tanquam sua instrumenta voluntatem suam operatur, disponit atque exequitur. Nam sicut in veteri testamento per hominem, hoc est, Moysen lex est data, quæ tamen à Deo erat, & Euangelium per homines ibi, vbi Christus ipse non fuit conuersatus, prædicatum est, & adhuc hodie in mun-